



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. XI. De republica Caucorum. Reges atque principes Germaniae non imperii, sed nominis habuisse dignationem. Quippe ad populum summa relata rerum. Ferme nascentis ad instar Romae. Cui, rege Romulo, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

invidere. Solus erat VVirceburgensis Episcopus, qui in Episcopatu suo neminem dicitur habere consortem. Ipse enim cum teneat omnes comitatus suæ parochiæ, Ducatum etiam provinciæ gubernat. Cujus æmulatione noster præsul statuit omnes comitatus, qui in sua diœcesi aliquam jurisdictionem habere videbantur, in potestatem Ecclesiæ redigere. Fluvii veterum clari scripturis, ad alia decursuræ prætereuntur orationi: partim quòd invadere prioribus observata refugimus, partim, quòd in expeditionibus Romanis plus sunt nobis vice simplici memorandi. Visurgidos ignoscat mihi Nympha,

— *Lympha lympharum*

Fœcunda mater, nata Cattidi proles,
Sed nupta nostro, nupta duplici Cauco,
Quem diribente finit arbitra fluctu:
Princeps amœna, clara, vitrea princeps,
Amasiarum serva puppium princeps.

Ut in Scazonte, laudibus ejus inscripto, cecini.

C A P. X I.

De republica Caucorum. Reges atque principes Germaniæ non imperii, sed nominis habuisse dignationem. Quippe ad populum summa relata rerum. Ferme nascentis ad instar Romæ. Cui, rege Romulo, libertas & majestatis jura relicta. Pars libertatis eligere. Laedemoniorum umbratici reges. Heroicorum temporum
monar-

monarchæ. Quale Cauco regimen arripserit, è vicinorum promitur exemplis. Frisio reges: sed in quantum Germani regnabantur. Cherusco reges. Regni Arminius adfectator. E'v'w'k'w'g Taciti concilatum. Catto principes. Batauo reges. Optimatum primi, reges. Cauci regimen è ceterioris seculi moribus indagatum. Qualem publica rei constitutionem Magni deprehenderint arma Caroli. Bella uni permissa gerenda. Becho, Bremensium princeps. Francorum populo, cui Caucasus immixtus, admissio regno salva libertas. Saxonum in Britannis Heptarchia: sed uno præminente. Patres Saxonum, seu optimates. Carolus antiqua magistratum vocabula Saxoni reliquit. Inter quæ Potestas. Frisorum Potestas. Bremensium Potestas. Iudiciaria manus. Gräviones. Goegravii. Hassi & Landgraviorum, ac Hollandiæ Comitum, primordia consimilia videri.

Scriptores antiqui reges atque principes Germaniæ loquuntur, sed, qui civitatem quique suam suadendi magis autoritate, quàm jubendi potestate, temperarent. Neque enim liberum illis aut infinitum regimen: plebi relicto maximarum arbitrio rerum. Tacitus: *De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Ut fortuitum videantur & mobilem, & ex voluntate parentium constantem, inter suos occupasse principatum. In concilio, Vt turbæ placuit, consistunt armati. Tum, si displicuit sententia (regum principumque) fremitu adspernantur: sin placuit,*

placuit, frameas concutiunt. Propterea Tutor Histor. IV. invidiosè: Germanos non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere. Res igitur alibi dissociabiles miscuere, regnum ac libertatem. Ita neque Romulus (nam à rep. Rom. omnium rerum egregiarum exempla mutuamur) nascenti populo potis erat omnia cognitæ subducere jura majestatis. Dionysius Halicarnasseus lib. IV. Penes populum trium horum erat arbitrium, creandi magistratus tam domi quàm militie, leges abrogandi vel confirmandi, bellum pacemve decernendi. De his rebus quoties disceptabatur, curiatim colligebantur suffragia, & tantundem valebat pauperrimi quàm ditissimi calculus. Unde jam nulli miremur, in Catilina scriptum Sallustio, imperium regium initio conservanda libertatis, atque augendis reip. fuisse. Nam quod Tacito sic incipit Annalium labos: Urbem Romam à principio reges habuere: Libertatem & consulatum L. Brutus instituit. Illud omnino sejungit à libertate regnum, quod imperium in superbiam verterat ac dominationem, & magnitudinem suam peccandi licentiâ maluerat, quàm officii gloria, metiri. Ac sicuti, post Romulum, proprios elegit arbitra Roma reges: ita Germania quoque sumpsit suos, id est, elegit. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Electio verò magnum libertatis, etiam fugitivæ, decus. Galba Hist. I.

Loco

Loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Nostri igitur illi veteres, principali titulo regalive præfulgentes, certum imperium, vimque regiam animo complecti non audebant, *reges nomine magis, quàm imperio*, ut ait in Agefilai vita de Lacedæmoniorum regno Cornelius Nepos. Et exspatiatus in primordia Romana Sallustius: *Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant.* Quales ferè Stagirita testatur heroum tempora tulisse Monarchias, Politicorum l. III. cap. XIV. & à volentibus acceptas, & secundum præfinita legum exercendas. Speciatim verò Cauco, quæ placuit universim Germano, tractandæ reip. placuisse formam, è vicinia nostra non adspernando depromitur argumento. Cum Frisio Cattum intuere, Cheruscumque. Quum Frisios à Malorige Verritòque regi tertius decimus indicâisset Annalium, ista cautissimus adscribit: *in quantum Germani regnantur.* Sic enim sanior scriptura, pridem ulcerosæ substituta. Et eos, qui vetustissima Francorum facinora signavêre, reges liquet edidisse Frisiorum. Ne citerioris seculi nomina commemorem. Cheruscum regni non eximit admissæ speciei, quòd Annal. II. dux Arminius, regnum adfectans, popularium narratur adversam habuisse libertatem. Nam si regni nomen inauspicatum popularibus exterminandumque

dúmque visum fuit, cur *Cheruscorum gens regem Româ petivit, amissis per interna bella nobilibus, & uno reliquo stirpis regia, qui apud Urbem habebatur?* Annal. xi. & quidem tempora flagitati regis, & fastiditi, vix quatuor lustrorum intercapedine dividente. Nempe non ipsum illi regnum, sed regem averfabantur Arminium, abscessu Romanorum, & pulso Maroboduo, superbum. Veriti, ne proscriptâ modestiâ votorum, mixtam principatui sensim oblivisci libertatem, & unius cogerentur adspectare iustia dominantis. Quippe cunctorum domitor affectuum animus indomabili frenos imponere nescit ambitioni, quæ incrementis ex hoste destituta capiendis, in civium plerumque capita grassatur ac libertatem. Cattorum principes Adgandestrius & Arpus Annal. ii. Caturmerus Annal. xi. leguntur. Et quid Catti propaginem sileo Batavum? Civilem regionum sanguine, tradidit adfirmatè Tacitus: Veromerum Strabo, & non unum Bataviæ regem Marcellinus in nostra secula transfudit Ammianus. At, quod Hugo Grotius asserit, in libro de Antiquitate Reip. Bataviæ, nihil esse manifestius, quàm reges hos fuisse iidem ut *Laconicos, nomine solo, re verò ipsa nihil nisi optimatium primos.* Idem in promptu nobis est asserere de Frisiorum Cheruscorumq; regibus, & si hos

F adjici

adjici patiare, Cauorum. Propterea Tacitus, ubi in concilio regem ait audiri principémve, ceteros, adjicit, ad sententiam admitti dicendam, *prout atas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est.* Hi, invidendo gentibus exemplo, Germanorum optimates erunt: in rep. cujus penes populum summa fuit, eminente nihilominus ætatis, profapiæ, factorum, eloquentiæque dignatione. Tempora consulere liceat à nostris minùs abscedentia temporibus. Nam quemadmodum ea, quæ spectaturos, ob longum nimis intervallum, oculos eludunt, certius solent è propinqui ratione percipi trigoni: ita, quæ plurima subducit nobis abdítque tenebroso sinu vetustas, ex insecutorum elucet sæpe, scintillantve moribus annorum. Saxo, qui Caui sepeliit appellationem, prisci retinebat haud prætereunda vestigia moris. Magnus enim Carolus, sub octavi seculi finem, fertur in hunc ferè modum publica reperisse constituta. Salva populo libertas & intemerata. Qui confusionem exturbaturus, immodicæ pedissequam libertatis, ultro directricis admisit adscivítque faciem Aristocratia. Quippe meritis eminentes & autoritate viros (erant autem numero duodecim) consiliorum suorum reip. facere copiam, ejúsque cum imperio tractare negocia jussit.

Annuo

Annuo quisque per vices honore præsidendi collegas anteibat. Ac, ne regis eos ex toto nomen, tanquam malam scævam, horruisse credas, quemcunque bella deprehendissent, ab exteris illata, præsidem, is, bello flagrante, rex appellabatur, regiâque potestate cuncta sub imperium accipiebat: donec, pace restituta, regii nominis exueret invidiam, ac ad pristinam rediret æqualitatem. Fermè ad dictatoris exemplum Romani. Sorte sequestra permissum uni, quod multorum erat, è quorundam colligi monumentis queat. Rex verò videtur principum titulo decoros habuisse legatos. Certè cum Caroli filio, principe ducente Bechone, conflixisse Bremenses, dictum nobis est in adolescentis historia Bremæ. Non minùs hercule Francus antiqui afficiebatur admiratione moris. Francus, in cujus nomen plurimus adscitus est adoptatúsque Caucus, ut è cap. VII. paret. In legibus Francorum: *Hoc decretum est apud regem & principes ejus, & apud cunctum populum Christianum, qui intra regnum Merwingorum consistunt.* Quæ verba (non enim nunc adire nobis Antiquarum legum Codices dabatur) eruditissimæ de Comitibus dissertationi concivis amicique nostri Meimari Hoyeri debemus. Afficiebatur etiam, sed minùs evidenter, effusus in Britanniam Saxo.

Quippe, cùm res inibi suas in tantum videret
 adolevisse, ut prosperrimæ jam essent ac pol-
 lentissimæ, plenæque ac consummatæ victoriæ
 fructus, Heptarchiam partæ telluri rectoricem,
 sed à singularis imperii non abhorrentem re-
 verentia, dedit. Etenim, qui virtute poten-
 tiave, solis instar, sex reliqua sidera inumbra-
 ret, is & insigni à reliquis æstimio colebatur,
 & rex gentis Anglorum appellabatur, autore
 Venerabili Beda. Sed, ut in victa regione, vul-
 góque victore sensim cum victo numerosiore
 confuso, populari consultum minùs atq; litatum
 libertati videtur. Delectorum procerum auto-
 ritati perhibet illustre testimonium Witechin-
 dus, in natali versantem sede Saxona describens.
 Namq; representata supplici Britannorum le-
 gationis oratione, quâ, ad Pictos averruncan-
 dos, opem atque terrorem ejus implorabat, *Pa-
 tres, inquit, ad hæc pauca respondent.* Carolus verò
 Magnus, ut ad ea nunc tempora cursûs nostri
 vaga reflectamus, haudquaquam prisca Saxo-
 nis i vit instituta deletum. Assensus enim est,
 suis ut in plerisque moribus uteretur, haud au-
 sus longissimæ sine libertatis eum multare po-
 pulum, qui pulcherrimum putabat exspirandi
 genus, in ejus exspirare complexu Deæ. Plera-
 que retinuit antiqua magistratuum vocabula
 victus. Inter quæ P O T E S T A S eminent vel
 impri-

imprimis: eo sensu veteri quoque non inauditum vocabulum Latinitati. Juvenalis in divina Satyra, quæ omnes una provocat Horatianas:

*Hujus, qui trahitur, pretextam sumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?*

Et ea gens, quæ veteris invasit patriam Latinitatis, hodiçque POTESTATIS eundem voci servat honorem. Ingredere vicina. Cùm Frisii, & Guilielmus, Hannoniæ domus ultimus, armorum inter se periculum facere decrevissent, ante conflictum tentato colloquio Frisii ceteras inter hanc Comiti conditionem tulere, quatuor Frisiorum nobilissimos impositum scuto Comitem humeris vibraturos, & in ea dicta prorupturos: *Hæc est Potestas Frisia.* Et omnino multam Potestatis faciunt Annales Frisii mentionem. Neque præterire Bremana velis. In quæis ad A. DCCCCXXXIV. & MCCCCLIX. potestates (sic enim prodit cum Diplomatis historia) reperimus. Et ad A. MCCCCXLIX. in bello, quod cum Oldenburgensi Mauritio gestum, *cum potestate sua, & stipendiariis, Bremenses exivere*: Bremensium Archiepiscoporum Historia tradente. Gewalt indigena fuit appellitata sermone Potestas: unde etiam nunc lictores Gewalts-fnechte, id est, *ministri potestatis.* Apparet in privilegiis quoque,

que, nec non in veteri rerum historia nostrarum; *Judiciaria manus*, quæ vel eadem cum potestate fuit, vel haud insigniter abiit ab ea recessitque. Quomodo pro potestate Potentatum posuit in Lexico Papias: *Potentatus, auctoritas judicialis in civitate*. Judiciariam Potestatem Bremensis nominat Adamus. Defluxit inde Patrum Conscriptorum appellatio *Witheit*: *Wet* enim, ac *Wit*/legem signat. Ceterum, qui plebem juris intra legumque reverentiam coercerent, est ubi *Gravii* quoque sint dicti Germano, vel *Graviones*. Variè tamen usurpatæ titulo dignationis. Sicut enim Comites sacrarum largitionum, rerum privatarum, alvei Tiberis, cloacarum, metallorum, portuum, commerciorum, Littoris Saxonici, limitaneos, &c. legere est in imperii Notitia: sic Dyckgravios, Burggravios, Pluyingravios, Marckgravios, Goe-gravios agnovit ante seculum non unum Germanus, & agnoscit. Goe-gravii nostri, qui juri præsumt dicundo per certi limitata districtus, eorum, qui Tacito describuntur atque Cæsari, speciem videntur atque vestigium repræsentare Gravionum. Tacitus: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicósque reddunt*. Cæsar in Commentar. VI. quo loco flectit ad Germanica commentationem: *Principes regionum atque pagorum*
inter

*inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt. Goe tellus est, & pagus, ex usu vetustiorum diffusæ determinata portio civitatis: cujus indicia nominis in antiquis expressa tabulis sunt Emisgoe, Lorgoe, Sturmegoë, Fivelgoë, Berdangoe; qui sanè tractus terrarum, Latine scripturientibus audivère pagi. Sed & Friso partem sedium suarum in Oostergoe dispescit & Westergoe. Sunt igitur Goe-gravii pagorum judices. Cursim quoque vicinum libet iteratò tangere Cattum. Plures uno Landgravios seu pagorum comites (non est enim nomine tenus alius à Goe-gravio Landgravius) Hassiam medio labente rexisse reor ævo: sed, uno forsitan opum virtutumque gradibus ad eminentis enixo fastigium, ceteri florentem ejus adoravère fortunam: unde Hassiæ illi Comitibus, ac, deinde, temporum augustior usu facta, Landgravii addita salutatio est, ac Cæsare relicta favente. Talia ferè de primordiis Hollandiæ Comitum Grotius aperuit, in libro de Antiquitate reip. Bataviæ, cap. v. Verba (nam ubique legi Grotiana merentur) adscribo: *Fuit ergo Comes Didericus jam ante, & Comitibus filius: sed comes pagi, hoc est, regionis alicujus, non integræ gentis: qui honos ipsi primò concessus, procerum & oppidanorum, ut credi æquum est, faventibus studiis. Et cum in Trajectinis tabu-**

lariis mentio fiat pagi, sicut in Australi regione, cui nomen Hollandia, à vero fortè non abeat, hunc ipsum pagum fuisse avitum Diderici comitatum: in cujus vocabuli consortium mox totum hoc eidem principi creditum corpus imperii venerit.

C A P. XII.

De Caucorum moribus ac institutis. Comititia sub dio celebrata. Duplicem ob causam: necessitatis unam, superstitionis alteram. Dani, Poloni, Franci libero consultationes suas atheri commiserunt. Sic in Chaucide Minore Frisii, ad Vpstalessbomum. Et in Chaucide Majore Bremenses hodièque, prope Basdaliàm. Ruricolis nostris jura sub dio reddi. Quercus religio. Quæ signum numinis. Sanctiva arbor. Staleke quercus.

DUæ compulère populos, ad comitia patentibus in causis agitanda, causæ: Una loci fuit amplitudo deligenda, quæ sufficeret immensæ receptandæ coëuntium turbæ. Testatur enim Tacitus, de majoribus omnes consultasse rebus. Iterum: *Vt turbæ placuit, confidunt armati.* Et apud Cæsarem Induciomarus armatum concilium indicit. Hoc more Gallorum est initium belli, quo, lege communi, omnes puberes armati convenire coguntur. Comment. v. At quæ illa tam vasta receptacula, quæ tot coërcere millia quirent, præsertim in populis ingentium ignorantibus operum structuras? Altera, metus ex numine fuit. Cælo teste, de summa rep. deli-